

Eres effectus
timoris.

ctent. Quarto notandum quod inter alios effectus quos timor facit in animo discipuli primum ter eos qui supra circa primum notabile assignati sunt: tres describuntur hic a sancto patre Benedicto. Primus est quod cogitationes malas et peruersas fugat. Est enim quasi flabellum quo musce malarum cogitationum a mente fugantur. ecclesiastici. j. Timor domini expellit peccatum. et ecclesiastici. ij. Qui timet dominum preparabitur corda sua et in conspectu illius sanctificabitur animas suas. Hunc tangit sanctus pater dicens (Nam ut sollicitus sit circa cogitationes suas peruersas: dicat semper humilis frater in corde suo: Tunc ero immaculatus coram eo si obseruauero me ab iniquitate mea) quod scribit psalmus. xvij. Sensus est. Immaculatus ero coram deo si obseruauero me ab iniquitate mea. i. custodiero me ne cadaam iterum per peccatum: quod habet animam maculare: ecclesiastici. xxj. Fili peccastine ad iurias iterum: ut dicas cum beato iob: Donec deficiam non recedam ab innocentia mea: Job. xxvij. Psal. Beati immaculati in via qui ambulant in lege domini hoc operatur timor domini. Unde glossa super illud ecclesiastici. j. Timor domini expellit peccatum: dicit expellit peccatum: quia per penitentiam mundat a peccatis vel prohibet a committendis. Et ideo dicit beatus bernardus super cantica: Qui timorem dei semper habet pro oculis: ei viae sunt pulchre et omnes semite eius pacifice. Secundus effectus timoris est quod propriam voluntatem abnegat facit et illam subiecit et submittit voluntati superioris. Hinc dicitur ecclesiastici. ij. Qui timet dominum inquirunt quod beneplacita sunt illi. Item in eodem: Qui timent dominum custodiunt mandata illius. Beati. xxij. dictum est abrae obedienti: Nunc cognoui quod timeas dominum. Grego. in prima parte moralium: Deum timere est nulla que facienda sunt preterire. Et hunc effectum tangit sanctus pater cum subdit (Voluntatem vero propriam ita facere prohibemur cum dicit scriptura nobis) scilicet ecclesiastici. xxvij. (Et a voluntate tua auertere. Et idem rogamus dominum) scilicet in oratione dominica (ut fiat illius voluntas in nobis) Orantes enim dicimus fiat voluntas tua sicut in celo et in terra: ubi dicit Cyprianus: Non petimus ut deus faciat quod vult: sed ut nos facere possimus quod deus vult: quod ut fiat in nobis opus est dei voluntate. i. opera eius

et protectione: quia nemo suis viribus fortis est sed dei misericordia. Consequenter ostendens sanctus pater rationabilitatem huius documentum ex ipsa sacra scriptura subdit dicens (Docemur ergo merito nostram non facere voluntatem cum cauemus) id est obseruamus (illud quod dicit sacra scriptura Sunt viae que putantur hominibus recte quaz finis usque in profundum inferni demergit) prouer. xvj habet: Sic est via que videtur hominibus recta et nouissima eius ducunt ad mortem. Ex hoc loco aperte colligitur quod maxima securitas sit superiorum suorum et patrum voluntatem sequi: et obedientiam in omnibus dubiis inuiolatam seruare. De qua materia circa instrumentum. lx. plura notata sunt (Et cum iterum cauemus) id est obseruamus (illud quod de negligentibus dictum est) psalmus. liij. (Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in voluptatibus suis) Tertius translationis nostre habet iniquitatibus suis. scilicet in peccatis tam carnis quam spiritus. Tertius effectus timoris domini est carnalium desideriorum compressio. psalmus. cxvij. Continge timore tuo carnes meas: a iudicio enim tuis timui. glossa. i. comprime carnalia desideria et carnales concupiscentias. Hunc timoris effectum tangit sanctus pater cum subiungit (In desiderijs vero carnis ita nobis deum credamus semper esse presentem cum dicit propheta domino: Psal. xxxvij. Domine ante te est omne desiderium meum. Cauendum ergo est ideo malum desiderium quia mors secus introitum delectationis posita est) Ubi notandum quod ut ait gregorius in moralibus: et ponit in glossa. Beati. iij. Tribus modis culpa perpetratur: suggestionem: delectationem: et assensum. Primo per hostem. Secundo per carnem. Tertio per spiritum. Hostis enim praua suggerit: caro subiungit se delectationi: tandem spiritus delectioni consentit. Unde et serpens praua suggestit: eua quasi caro delectationi se subdidit. Adam vero velut spiritus suggestione et delectatione superatus assensit: suggestionem ergo peccatum cognoscimus: delectatione vincimur: consensu ligamur. Cum ergo malignus spiritus peccatum suggerit in mente si nulla peccati delectatio sequatur: omnimode peccatum perpetratum non est. Cum autem delectari caro ceperit: tunc peccatum incipit nasci Si autem ad consensum iam ex deliberatione de-

Magna securitas obedientie.

Tribus modis culpa perpetratur.

Dulcius de deceptione per thoplastorum.

Subreptio peccati recte describitur.

Timere deum

k ij